Fragmentarium

(2)-5

vir de plebe cum in visu admonitus ut de quibusdam religionibus ad
senatum perferret et neglexisset amisso filio pedibus debilis factus postquam
delatus ad senatum lectica eadem illa indicaverat. usu pedum recepto
domum reversus est. Cn. gn. marcius coriolanus qui in exilium erat
pulsus dux vulscorum factus exercitum hostium urbi admovisset et
missi ad eum primum legati postea sacerdotes frustra. deprecati essent
ne bellum patrie inferret veturia mater et volumnia uxor impetraverunt
ab eo ut recederet. lex agraria primum lata est. Spurius cassius con
sularis regni crimine dampnatus est necatusque. Ilia virgo vestalis ob
incestum viva defossa est. cum vicini hostes vegentes incommodi magis
quam graves essent. familia fabiorum ad bellum gerendum depoposcit
misitque in id trecentos et sex armatos qui ad cremeram ab hostibus
preter unum cesi sunt. Appius claudius consul cum adversus volscos
contumacia exercitus male pugnatum esset decimum quemque mi
litum fuste percussit. Res preterea adversus volscos et equos et veien
tes et sediciones inter patres plebemque continet. **Liber quartus.**

Sediciones de agrariis legibus fuere. capitolium ab exulibus
et servis occupatum. cesis hiis receptum census bis actus
est. Priore lustro. censa sunt cui civium capita. ciiij. milia
dccxiiij. preter orbos orbasque. Sequenti. cxvij. milia. cccxviiij. Cum ad
versus equos male gesta res esset. L. quintius cincinnatus dictator
factus cum rure intentus rustico operi esset. ad id bellum gerendum
accersitus est. Hiis victos sub iugum misit. Tribunorum plebis nu
merus ampliatus est ut essent. x. tricesimo sexto anno primis tri
bunis petitis per legatos et allatis. atticis legibus ad constituendas
eas proponendasque decem viri pro consulibus sine ullis aliis
magistratibus. Creati nono tricesimo anno quam ro ma
condita erat. Et ut a regibus ad consules. ita a consulibus ad dece
viros imperium translatum. in decem tabulis legum positis. Cum
modeste se in eo honore gessissent. Et ob id in alterum quoque annu
ad eundem magistratum decem adiectis cum plura impotenter fe
cissent. magistratum noluerunt deponere et in tertium annum de

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 2_5r – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50598)